



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo qui audiuit à patre & didicit, venit ad Christum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

At impii non possunt venire, non est in illis libertas. Respondeo. Possē, cum detur illis gratia sufficiens: non possunt suis viribus, sine auxilio speciali. De auditu externo & interno loquitur. Persuasio fides est, ac proinde tractionis effectus.

VERSVS 46.

Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem?

QVÆSTIO I.

Quis viderit aut non viderit patrem?

§.1. CUM dixisset omnium qui veniunt, patrem esse magistrum, omnes à patre audire; ne quis aut putaret patrem aspectabilem esse, & humanis rebus interesse conspicuum mortalibus, aut ne quis posset queri patrem sibi ignotum esse, objectionem occupat, & monet ab humano consortio atq; oculis illam maiestatem longè remotam, animis arcanà vi influere, per filium, cui soli cognitus est docere. Ita etiam Augustinus. Quid est (tractatu 26.) quod ait, Ego vidi patrem, vos non vidistis patrem, & tamen non venitis ad me nisi trahamini à patre? Quid est autem vobis trahi à patre nisi discere à patre? Quid discere à patre nisi audire à Patre? Quid est audire à Patre nisi audire verbum patris, id est me? Ne forte ergo cum dico vobis, Omnis qui audiuit à patre & didicit, dicatis apud vos, sed nunquam vidimus Patrem, quomodo ergo discere potuimus à patre: A me ipso audite. Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est à Deo, hic vidit Patrem: ego novi Patrem, ab illo sum.

Pater inuisibilis per filium docet.

Affirmat etiam de patris notitiâ, & instructione frustra eos gloriari, qui audire nolunt. Filius enim verbum est patris, filius est à Deo, æternâ generatione, & manet in patre. Quamvis ipsa doctrina filii est à patre. Et ille ex Patris substantiâ, vt in lumine eius, videamus lumen, iuxta illud propheticum, & in lumine tuo videbimus lumen.

Christus perficere cognoscit patrem, ideo Deus est.

§. 2. Athanasius orat. contra Arianos Christi diuinitatem hinc asserit. Cum Dominus, inquit, dicat, Nemo cognoscit patrem nisi filius, & iterum: Non quod patrem quis noverit nisi filius qui est ex patre: quomodo non vere contra Deum pugnant illi, qui dicunt, non videri, neq; cognoscit patrem à filio perfecte: ei γὰρ ὁ υἱὸς λέγει, καὶ δὲς γινώσκει μὲν ὁ πατήρ, καὶ γὰρ γινώσκει τὸν πατέρα, ἐκ ἧς μέγας γινώσκει ὁ πατήρ τὸν υἱόν, πῶς ἔμενοντα φωνάζοντες, ὅτι ἐκ μέγας, καὶ ἀληθῆς ὁ υἱὸς γινώσκει τὸν πατέρα: si enim Dominus dicit. Quem admodum cognoscit me pater, & ego cognosco patrem, pater vero non ex patre cognoscit filium, quomodo non insanius garrindo, filium ex patre, non plene cognoscere patrem?

Idem Athanasius dial. 2. de S. Trinit. omnib. creaturis inuisibilem Deum docet, non sibi, si enim filius qui est à patre, videt patrem, ergo & pater seipsum videt.

VERSVS 47.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

QVÆSTIO I.

Quomodo vitam æternam habet qui credit?

§.1. Fides vera & viuax, ius habet ad vitam æternam. reicit, E hic nescio quid Erasmo venerit in mentem, vt contra suum morem verterit: Qui confidit mihi. Certè confidentia ea est, quam πιστοσύνη vocat Pareus, & à fide non minus distinguenda est,

quam effecta distinguuntur ab efficientibus causis. Non igitur fides, quâ obtinetur vita æterna, est fiducia, seu spes firma, sed eius causa; frustra ergo omnia fidei tribuunt, frustra fidem in scripturis fiduciam esse clamant. Hic autem, & v. 40. eodem modo accipitur credere, itaq; nec illo loco fiduciam significat. Imò & Caluinus, idē ait, fide vitam consequimur, qui scimus in Christo contineri omnes vitæ partes. Scientia itaq; non fiducia hic fidem definit.

VERSVS 48. 49. 50.

Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur.

QVÆSTIO I.

Quomodo viuam, qui ex hoc pane manducans?

§.1. Beza vertere maluit pro pane viuio vinificum: hoc enim plus est, quam viuum esse. Non ignorauit hoc Euangelista, non tamen panem viuificantem, sed viuum dixit: quamvis sit etiam viuificus. Præstat igitur singulis locis tenentia verborum proprietate verba Domini sequi, quam nostro iudicio plus minusue dicere, quam firin verbis Spiritus sancti. Causam fuisse Euangelistæ cur cetera diceret non dubito. Hilar. l. 10. de Trinit. legisse videtur ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Ex pane meo. Syrus habet ἡμῶν ἄνω γὰρ, vt comedat homo ex eo, vel, qui comedit. Porro manna comederunt Patres & mortui sunt omnes morte corporali, multi æternâ. At qui Christi corpus manducant, mortem temporalem obeunt, & pari modo multi æternâ. Ita vtrinq; morte corporis defunguntur, vtrinq; aliqui vitam æternam accipiunt, aliqui damnantur.

Augustinus personarum comparationem esse iudicat, Manna comedisse plerq; ingratos, non vt sacrum cibum, sed communem. Christi corpus aliâ mente comedi, ideo saluari eos, qui putâ conscientiâ manducant. Patres itaq; vestros signanter dictum arbitrantur, eos scil. quorum ipsi contumaciam æmulantur, non Moſen, Aaronem, aliosq; qui verâ fide, ac pietate manducarunt.

Commodior est aliorum expositio, res ipsas, panem quem dat Christus & manna comparari. Manna qui comederunt mortui sunt morte spiritali multi, non vim spiritalem manna non habuit. Panem hunc dicit, non animam pascere, spiritum, & vitam æternam dare. Deinde qui hunc panem manducant, non mori ita vt in morte permaneant, ideo toties se eos in nouissimo die resuscitaturum pollicetur. Itaq; hic panis est immortalitatis cibus, restaurator non modo vitium, sed & vitæ. Non dicit mori eos, qui exiguo tempore functi, in immortalitatem resurgunt, quod multis veterum contigit, qui manna comederunt, sed non ex manna corruptibili, sed virtute panis viuî, qui est Christus.

VERSVS 51. 52.

Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vitæ.

Qvæ